





- 1) De primariis precibus Imperialibus sine Pontificis indultu validis. R. Gribner.
- 2) De eo quod iustum in foro externo et interno. R. Brückner.
- 3) De dissensu sponsalitio. R. Strykio.
- 4) De Baptismo R. Lyncker.
- 5) De eo, quod iustum est circa personas diversae Religionis. R. Lyncker.
- 6) De absolutione in foro poenitentiali et contentioso. R. Simone.
- 7) De luctu. R. Jacob.
- 8) De Sacra Coena R. Vorstig.
- 9) De Jure Visitationis Ecclesiasticae et Procuratoris. R. Zioler.
- 10) De eo, quod iustum est circa mortuos. R. Zioler.
- 11) De Sigillo Confessionis. R. Lvenstedt.
- 12) De Laici foro ecclesiastico. R. Bohn.
- 13) De Crimine Lenocinū. R. Gerhard.
- 14) Quaestio: Quis debet esse iudex controversiarum de fide et Religione. R. Veltthem.
- 15) De Delatoribus. R. Hartuno.
- 16) De Purgatione Canonica. R. Betsmann.
- 17) De Foro competente et subiectione Clericorū sub potestate civili. R. Thomasio.
- 18) De Fundamentorū definiendi causas matrimoniales hactenus receptorum insufficientia. R. Thomasio.
- 19) De iudicio seu Censura morum. R. Thomasio.



~~47.~~  
DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

DI V O R T I I S

QUAM

PRÆSIDE DEO TER OPTIMO  
MAXIMO,

EX DECRETO ET AUTHORITY

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI JURIS-

CONSULTORUM IN FLORENTISSIMA

UNIVERSITATE ALTDORPHINA

COLLEGII

PRO SUMMO IN UTROQUE JURE

GRADU ET PRIVILEGIIS RITE CON-

SEQUENDIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBIICIT

GEORGIUS VITUS ZECH

ULMENSIS.

AD DIEM MENSIS APRILIS

ANNO CHRISTI M, DC, LVII.

Typis GEORGI HAGEN Universitatis

Typogr.

31 b.

33

33.





DISSEMINATIO IN MANUS

DI VOR TIE

BY VICE OF AUTHORITY

MAINTAIN THE

CONSTITUTION

PRO SIMILITUDINE

IN

GERMANIA

AD

LIBERTATEM

ET

JUSTITIAM

E

ad

usui

quoc

vellis

fariu

ma J

in il

tem

qual

fit) p

& ea

Eccl

cipiu

meo

te





**E**Ligenti mihi ex innumeris Juris no-  
stri titulis materiam aliquam, quæ  
ad disputationem meam inauguralem  
usui esse posset, obtulit se Divortii jus,  
quod quia variè in Digestis, Codice, & No-  
vellis dispersum, scitu tamen maxime neces-  
sarium est, placuit, Nobilissima & Amplissi-  
ma Juridica Facultate consentiente, penitus  
in illud inquirere, & paucis thesibus (nam  
temporis breve curriculum, quo hoc quale  
quale est conscribi debuit, plura non conces-  
sit) præcipua ex illo decerpere, maxime verò  
& ea, quæ hodie in foro Christiano, nostrisq;  
Ecclesiis observantur, attingere. Prin-  
cipium sine Principio, æternus Deus, conatui  
meo clementer faveat, faxitq; ut competen-  
ter universa gerantur *Novell. 6. in pr.*

& quæ inchoata sunt, bono ex-  
itu peragantur *c. princi-  
patus 1. q. 1.!*





## THESIS I.



Uamvis ea destinatione contrahant conjuges nuptias, ut ad vitæ finem & perpetuò sibi cohabitent, omniaq; tam divina quam humana jura communia habeant, Nobiliss. ac Spectatissimus Dn. D. Ludwell. Amplissimæ Facultatis hodiè Decanus, Præceptor meus sanctè semper de-  
venerandus (quem in primis allegare lubet, quia primas Ei ob innumera in me collata beneficia, gratias debeo) in *Comment. ad Inst. tit. de pat. potest. §. 1. n. 3.* Tamen præter naturâ matrimonii & ex accidente fit, ut hoc etiam sanctissimum matrimonii vinculum dissolvatur. Usq; adeo verum est, quod noster ait Imperator in *Novell. 22. cap. 3.* Eorum quæ in hominibus subsequuntur, quicquid ligatur solubile est. Nihil jam de illo divortio, quo anima à corpore separatur & discedit, (ὁ θάνατος τῆς ψυχῆς καὶ σώματος ἀγά-  
λυσις: A. Gell. in noct. Attic. lib. 2. cap. 8. Germani dicunt *Der Tod sene der grösste Ehebrecher*) dicam, quod omnium periodus, finis & solutio est *Nov. 22. cap. 20.* nostrum enim quod inter vivos fit divortium, priora sat probabit.

### II.

Juris nostri conditores, quando materiam juris interpretantur, notationem seu interpretationem nominis negligere non solent, quo res, de qua acturi sunt, appellatur *l. 1. pr. ff. de reb. cred. l. 2. §. 2. eod. l. 51. in pr. D. ad L. Aquil. pr. §. de testam. ordin. §. summa autem. §. de interdict. l. 1. in pr. D. de acquir. vel amitt. possess. l. 31. D. de U. S. & l. 35. §. 1. D. de mort. caus. donat. Bocer. tr. de donat. cap. 1.* Idem etiam hic in nostra materia Cajus observavit, quando divortium vel à mentium diversitate dictum esse existimat, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium in *l. 2. D. de divort.*



vort. addipotest l. 191. D. d. U. S. à divertendo igitur est divortium.  
Gædd. ad l. 101. §. 1. D. de U. S. & ex eadem descendit origine cum  
diverso & diversitate. Isidor. lib. 9. Etym. cap. 8. Hebræi, pe-  
nes quos vetustissima divortii habet initia, ut ex Deuteron. cap. 24.  
perspicitur, nomen divortii à verbo quod scindere sonat, deducunt,  
libellumq; abscissionis dicunt, quod viri & uxoris nexum, conjuga-  
tionemq; in perpetuum abscindat, ac dirimat. Marcus Evangelista  
Cap. 10. βιβλίον ἀποστάσις, Matthæi verò interpres ἀποστάσις quasi  
abscissionale nuncupant.

### III.

Divortio contraria conventio est. Utrumq; in jure propter in-  
opiam vocabulorum metaphorice à re corporea ad incorpoream  
dicitur. Ut igitur convenire dicuntur propriè, qui ex diversis lo-  
cis in unum colliguntur & veniunt, translatae autem qui ex diver-  
sis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam  
decurrunt l. 1. §. conventionis 3. D. de pact. Ita e contrario de di-  
vortio sentiendum est, propriè quidem de viis & locis divisus usurpa-  
ri, translatae autem de animorum motibus contrariis. Sic divor-  
tia aquarum dixit Cicero lib. 2. ep. 9. & lib. 5. ad Attic. ep. 108. &  
Liv. lib. 48. & Tacitus annal. lib. 12. artificioso inter Europam Asi-  
amq; divortio Byzantium in extrema Europa posuere Græci. &  
Virgilius 9. Aeneid.

#### Objiciunt equites sese ad divortia nota,

id est, flexus viarum. Idem Tacitus in vita Agricol. Divortia iti-  
nerum. Et divortia ponti apud Lucan, lib. 2. In quibus omni-  
bus propria est significatio. Metaphorica autem est in illis: ex com-  
muni sapientum jugo sunt doctrinarum facta divortia Cic. 3. de orat.  
ubi intelligit contraria Philosophorum & in diversa abeuntia do-  
gmata & opiniones varias. Sic cum Plautus in Epid. ait, diverti  
mores virgini longè ac lupæ, id est, multum differunt inter se, &  
pugnantia sunt studia virginis ac meretricis. Dn. D. Conradus  
Rittershusius, Clarissimum olim hujus Universitatis lumen, lib. 2.  
de differ. jur. Civ. & Canon cap. 8. Sed de his satis dictum: Defi-  
nitionem divortii aggrediamur.





**IV.**

Divortium est legitima separatio mariti & uxoris, cum causa cognitione, apud competentem iudicem facta. Dn. Joh: Jacob. Speidel. *in spec. juridic. politic. philologico historiar. observat. tit. Ehescheidung.* Schneidewin *ad tit. de nupt. part. 9. de divortio num. 3.* Harpr. *ad §. 11. 7. de nupt. n. 30.*

**V.**

Divortium igitur tam latè extenditur, quàm latè patet conjugium cui opponitur, quod lenim per conjugium concrefcit, per divortium dissolvitur. Hic autem nomine divortii non comprehensam volumus separationem quoad mensam & thorum, Die Ehescheidung zu tisch und zu bett/ quam Pontificii Canones, cum divortium, verum nullum admitterent, in ejus locum, quæ tam sacris literis, quam Romanorum legibus incognita, invexerunt. Errat ergò Bellarminus, quando *lib. 1. de matrim. c. 19. in pr.* scribit, Jctos sub nomine divortii complecti dimissionem quoad thorum, imò de hac fieri mentionem in tit de divort. falsum enim hoc esse & in Scholiorum in auditum, scite doctissimus Politicorum Arnisæus *in Comment. politico de jure connubior. cap. 6. sect. 2. n. 8.* demonstravit. Ubiq; enim divortio nuptiæ solvi dicuntur *t. t. D. & C. de divort. nullibi etiam adimitur, diversæ vel dimissæ personæ facultas novas nuptias constituendi l. vir mulieri 64. D. de donat. inter vir. & uxor.*

**VI.**

Inter repudium & divortium hoc interest, quod cum repudiare dicamur futura, divortisse autem non potuimus, nisi inde ubi prius constitimus, repudium pertineat ad sponsum & futurum matrimonium, divortium ad uxorem, & matrimonium constans. *l. 101. §. 1. ibiq; Gædd. & l. 191. D. de Verb. sign.* quanquam repudium in uxoris quoq; personam nõ absurde cadere Modestinus ibidem subjungat, & ita illud vulgo notent leges. *l. 3. in fin. D. de divort. l. si qua mihi 12. D. de Rit. nupt. l. viro atq; uxore 39. D. sol. matr. l. 3. §. 8. C. de repud.* In quibus ll. omnibus continetur Synecdoche generis pro specie. Cum repudium generalius sit, etiam apud alios Latinæ linguæ authores, teste Brechæo *ad d. l. inter Divortium 191. de U. S.*

quam





quam plurimis in eam rem testimoniis citatis, *Gædd. ad d. l. 101. §. 7. de V. S.* Imò sponsam quoq; a sponso divortium facere dici, in *l. quod Servius 8. D. de condiçt. data caus. non sec.* ex mente JCr obser-  
vavit illic Accursius: licet id *καταχρηστικόν* fieri velit Arnif. *d. 11. de jur. connub. cap. 6. sect. 2. n. 7.* Nā si divortiū pro repudio spōsi spō-  
sæq; ponatur, neq; speciei pro genere, neq; generis pro specie syneco-  
doche, sed speciei pro specie *κατάχρησις* & trāspōsitiō esset quæ rara  
est, & inconsueta.

## V I I.

Per separationem in definitione eam intelligo, quæ eo animo  
fit, ut nunquam redintegretur matrimonium. Divortium enim,  
non est nisi verum, quod sc. fit animo perpetuam constituendi dis-  
sensionem ut loquitur Paulus in *l. 3. D. de divort.* quapropter ut i-  
dem subjungit, quicquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non  
prius ratum est, quam si perseverantia apparuit iudicium animi  
fuisse: ideoq; per calorem misso repudio, si brevi reversa uxor est,  
nec divertisse videtur, & sic cum *d. l. 3. sentiūt l. 48. ff. de Reg. Jur.*  
& *l. 33. D. de Rit. Nupt.* Licet ergo separatim habitent vir & uxor  
*l. nihil interest. 15. D. de act. rer. amotar.* quod scimus interdum & in-  
ter consulares viros subsecutum *l. cum hic status. 32. §. si mulier. 13. D. de donat. inter vir. & uxor.* tamen si honorem invicem matrimo-  
nii habeant, durare nuptias, & donationes mutuas non valere,  
censuit Ulpianus in *d. §. 13.* Ubi autem durant nuptiæ, divortia  
locum non habent. Arnifæus *d. cap. & sect. n. 11.* Excludimus  
hic simul temerarias nonnullas & frivolas separationes, quas Idem  
Ulpianus *l. cum hic status. 32. §. quod si divortium 12. D. de donat. in-  
ter vir & uxor.* frivusculum (lectio Florentina habet frivusculum;  
olim etiam dixerunt frivofculum) vocat. Quod frivusculum a  
frivolo fluxisse indicat Isidorus *lib. 9. orig. c. ult. his verbis:* Frivo-  
lum est cum eo animo separantur conjuges, ut ad se invicem rever-  
tantur. Nam frivolum est velut quassæ mentis & fluxæ nec stabi-  
lis. Propriè autem frivola vocantur fictilia vasa inutilia, inde pro  
levis pretii suppellectili hoc verbum usurpatur. in *l. 11. §. solutam de  
pignerat. act.* Papinianus JCr. nuncupat jurgium in *l. si liberis 27.  
D. de pact. dotal. & in l. quod si non divortium 31. D. de jur. dot. & Au-  
sonius in monosyll, noxiam appellat, dicens;*



*Sape in conjugis fit noxia, si nimia est dos.*  
Hujus autem generis similia dissidia quæ simul ata vocantur in l. 64.  
D. de donat. inter vir. & uxor. pro divortis non habentur.

V I I I.

Matrimonia verò non passim, neq; temere dissolvi possunt, sed tantum ex causis legitimis, sive a lege permissis. Laudatur hic Synesii vox, qui affirmavit se non dimissurum uxorem suam, quam & DEUS, & lex, & manus Episcopi sibi tradidissent. *Joachim à Beust. part. 2. de jur. connubior. cap. 9.* Non commutantur hodie uxores odiosæ, qualia mercimonia olim Germanos exercuisse nos Cæsar de bello Gallico docet. Ad Calecutios hæc mercatura, nam & hos, cum illuc primum Hispani impetum facerent, suas uxores precio distraxisse & commutasse, Indica testatur historia. Quos Deus Ter Optimus Maximus semel conjunxit, ne quidem mutuo utriusq; partis consensu sejungi possunt, non enim suo solum consensu, sed & autoritate divina coierunt. Obsoleta hodie Charondæ lex est, quæ mulieribus quacunq; de causa à viris divertendi facultatem concessit, quæ nec olim a Thuriis poterat tolerari. *Diodor. Sicul. lib. 12. bibliothec.* Majores requiruntur rationes ad divortium, quam olim in Rep. Judæorum, qui teste Josepho 4. antiquit in fin. levissima quaq; ex causa divortium faciebant, quarum catalogum pertexit Joh. Gerlon in libr. de doctr. Judæor. Matrimonium facilius contrahitur, quam dirimitur; hujus enim dissolutionem difficiliorem esse debere, favor imperat liberorum ut ait l. 8. consensu. C. de repud. Excellentiss. Dn. D. Cunr. Rittershus. p. m. part. Novell. 4. cap. 7. n. 3. Antiquiores Romanorum ob id ab Historicis commendantur, quod quamvis ex aliqua saltem causa dissidia nuptiarum semper licita fuerint, tanta tamen apud eos matrimonii reverentia extiterit, ut primis quingentis annis licentia concessa nemo uti deprehensus fuerit, *Gædd. ad s. alleg. l. 101. §. 1. de U. S. n. 2. in fin. Beust. d. parte 8. cap. 8. Thom. Dempsterus à Muresck. antiquit. Rom. lib. 5. cap. 38. lit. d. Tertull. de Monogam. Halicarn. lib. 2. A. Gellius in noct. Att. lib. 4. c. 3. & lib. 17. c. 21. Plutarch. in comp. Rom. & Thes. ite Num. & Lycurg. in probl. Rom. 14. Valer.*



ler. Maxim. lib. 2. cap. 1. lib. 6. cap. 3. Cal. Rhodig. lib. 28. lect. antiq. c. 16. Sabell. lib. 9. En. 4. & Sigon. lib. 1. antiq. fur. civ. Rom. c. 9. in fin. Ubi addit in annorum numero leviter aliquantum authores dissentire. Brisson. lib. sing. ad l. fut. de adult. p. m. 123. Donec (Sp. Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur. Gell. d. lib. 4. d. cap. 3. quem postea magno numero secuti sunt, qui graves domi uxores habebant, vel novis simplicatos amoribus cupiebant, adeo ut satyricorum irrisionibus crebra divortia locum dederint. Arnif. d. cap. 6. sect. 3. n. 8. Seneca 3. de benefic. cap. 16. foeminas detestatur, quæ tum temporis, non consulum numero, sed maritorum, annos suos computarunt, quæ matrimonii causa exiverunt, & nubserunt repudii. Juvenalis ad repudium mittendum suffecisse annuit, si mulier gravis coeperit esse marito, aut nares habuerit minus siccas, Satyr. 6.

*Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi,  
Jam gravis es nobis: sicco venit altera naso.*

plura quam levissimis de causis postea Romani uxoribus suis nuntium remiserint, videri possunt in eruditissimo Arnifæi tr. de jur. connub. d. cap. 6. & sect. n. 9. Beust. de matrim. d. cap. 8. Obiter hoc addimus, veteres in divortiis usos fuisse certis verborum formulis, puta res tuas tibi habeto, tuas res tibi agito. l. 2. §. 1. D. de divort. ibiq. Gothofr. lit. g. qui aliquot formulas ex antiquis apposuit authoribus Beust. alleg. loc. Muresk. in antiq. Rom. lib. 5. cap. 38.

### *I X.*

Non sufficit autem causam legitimam esse, nisi causæ cognitio & probatio, apud competentem judicem accesserit. Non enim divortium propria autoritate, sed per sententiam fieri debet. cap. ex parte. 9. extr. de sponsal. & matrim. c. porrò. ubi gloss. de Divortiis. et si uxor fuerit expulsa ante cognitionem causæ, ante omnia debet restitui. Schneidew. d. l. per can. sive de conjugii 4. caus. 33. q. 2. & c. porrò. extr. de divort. nisi esset notorium, mulierem adulterium commisisse, nam tunc ad eam recipiendam vir cogi non debet. cap. significasti 4. extr. de divort. Quis autem competens judex sit, coram

B

quo





quo causæ matrimoniales agitari & discuti debeant, docet Quirinus Kubach. *in question. illustr. cent. 3. Decur. 1. q. 7. p. m. 631.* & putat has causas, in quibus quæritur vel de matrimonio contrahendo aut dissolvendo, non tantum coram iudice Ecclesiastico, sed etiam coram Laico tractari & ventilari posse. Et inde est quod nostri Principes in iudicio matrimoniali *In den Ehegerichten* utantur & Ecclesiasticis & Laicis consiliariis. Hunc autem morem apud Iudicem causas divortii exponendas esse, non solum hodie, sed & olim apud Atticos in usu fuisse, ex historia Alcibiadis apparet, quam recitant Lyfias & Plutarch. Cum enim uxor Alcibiadis offensa, vagis libidinibus mariti discessisset ad fratrem factura divortium, petiuit Alcibiades, ut libellum repudii apud Magistratum exhiberet, non per amicos, sed per seipsam; Cumq; mulier in iudicium venisset, Alcibiades cum aliquot amicis veniens reduxit eam in domum suam, apud quem postea mansit, donec ipsa vixit, referente Beust. *d. tr. cap. 8. ex Philip. Melanchth. libello de collatione action. forensium Atticarum & Romanar. accusat. 12.* Et fuisse hanc consuetudinem etiam in Ecclesia veteri idem Philippus in suo examine ordinandor. affirmat in loco de conjugio, sub tit. de modo procedendi, ubi Origenem in Matthæum allegat, & duas historias ex Iustino Martyre & Hieronymo recitat.

### X.

Fiebant olim divortia aut mutua voluntate, aut alterutrius. Mutua voluntate solvebantur quando conjux conjugem cum bona venia dimisit, & si uterq; in divortium consensit; secundum naturam enim putabant, ut quo quid colligatum esset, eodem modo solveretur. *l. ab. emptione 58. D. de pact. l. nil tam naturale. 35. D. de R. 7.* Contrahitur autem matrimonium consensu: ergo contrario consensu rectè solvi posse ratiocinabantur. Wesenb. *in par. h. nostro tit. de divort. n. 7.* Sed si conjugii copulam Christianis oculis intueri velimus, non subsistit ex solo consensu contrahentium, sed ex autoritate ejus qui per Adamum dixit: derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. *Genes. 2:* unde regulam hanc extraxit Christus, *Matth. 19.* quod Deus conjunxit, homo non separet: & Paulus ex ejusdem ore

derivat



derivat repetitum præceptum: iis qui matrimonio juncti sunt, denuncio non ego sed Dominus; uxor à viro ne discedito 1. Cor. 7. Arnif. d. cap. sect. 3. n. 17. Et Paulus Jctusin l. 3. D. de rescind. vendit. emptionis & venditionis per mutuum consensum dissolutionem limitat ad eum articulum, ANTEQUAM RES FUERIT SECUTA: postquam enim res non est amplius integra, solo consensu dirimi nequit, quod per traditionem realem validatum fuit & consummatum. Sic vir & uxor si in unam carnem abierunt, etiam si voluntates de novo dissiliant: corporum tamen commixtionem infectam facere nequeunt.

### X I.

Alterutrius voluntate divortium de jure Digestorum fiebat, non solo quidem animi impetu l. 3. ff. h. r. sed certa forma adhibita l. 2. §. 1. D. de divort. Wesenb. Pag. hic. n. 8. Quamvis etiam certum sit, eo jure levissimis quoq; de causis libellum repudii dare permissum fuisse, semper tamen testibus septem adhibitis per verba nullum divortium. l. 9. D. de divort. qui & puberes, & cives Romani, & rogati esse debebant, gloss. hic. & talis repudii libellus mitti debuit ei qui repudiatur, & cui fit renunciatio vel absentem vel præsentem, per eum qui sui juris est, vel in cujus potestate ipse est. d. l. 2. §. fin. D. de divort. Briffon. d. loco.

### X I I.

Jus Codicis verò repudii causas apertius designat, & sine justa causa dissolvi matrimonia limite justo prohibet, & necessitate unum ex conjugibus pressum, necessario, infausto licet auxilio, liberari cupit. Fundantur autem causæ divortii maxime in l. consensu. 8. C. de repud. §. si qua. 2. ubi recensentur, adulterium, homicidium, veneficium, crimen læsæ majestatis, crimen falsi, dissolutio sepulchrorum, sacrilegium, latrocinium vel latronum susceptio, abactio, plagium, conversatio cum impudicis ob contemptum suorum, & deniq; insidiæ vitæ factæ, vel veneno, vel gladio, imò etiam verberibus. Nam Imp. Theodosius & Valentin. sui temporis fœminas, non tam stupidas putarunt, quæ servilem verberationem, pro signo summi amoris haberent, ut uxores apud Moschos habuisse Sigismundus ab Herberstein Ferdinandi I. legatus hoc ostendit.

B 2

ex



*exemplo. Est Moscovia quidam Alemannus faber fer-*  
*rarius, cognomento Jordanus, qui duxerat uxorem Rhutenam, ea*  
*cum apud maritum aliquandiu esset, hunc ex occasione quadam*  
*amice sic alloquitur: Cur me, conjux charissime, non amas? Re-*  
*spondet maritus, ego verò te vehementer amo. Nondum inquit,*  
*signa habeo amoris. Quarebat igitur maritus, qualia signa*  
*vellet? Cui uxor: nunquam ait me verberasti. Mihi sane ver-*  
*bera inquit maritus non videbantur signa amoris: Sed tamen*  
*nec hac parte deero. Atq; ita non multo post, crudelissime eam*  
*verberavit: fassusq; mihi est, longè majore amore se à sua uxore*  
*posthac observatum fuisse: quam rem sapius exercuit, nobisq; tum*  
*Moscovia existentibus, cervicem illi tandem & crura præcidit.*  
*Hucusq; Sigismundus Baro in Herberstein in comment. rer.*  
*Moscowiticar. p. 48. ex eo quoq; recensuit hanc historiam Joh.*  
*Barclajus in Jcon. animor. cap. 8. & Giph. ad l. nostram 8. C. de repud.*

X I I I.

Sed quia prædictæ causæ non omnes videbantur sufficientes,  
 supervenit jus Novellarum, quo per pauca, reliquis defalcatis, sunt  
 admittæ; de quibus habetur in capite, quia vero plurim. s. 8. Novell.  
 117. ut liceat matri & avia, quas paucis examinabimus. In Novel-  
 lis duobus modis matrimonia solvuntur, vel bona gratia, vel inter-  
 veniente repudio sive libello repudii. Tertull. de monogam. vocat  
 solutione bona gratia, amicabilem separationem, cui Ulpianus in  
 l. cum hic status. 32. §. 10. D. de donat. inter vir. & uxor. ad stipulatur,  
 dicens, pleriq; cum bona gratia discedunt, pleriq; cum ira sui animi  
 & offensa. Sunt autem in Novellis quatuor modi bona gratia dis-  
 solvendi matrimonium. 1. Monachismus 2. debilitas seu impoten-  
 tia mariti, 3. captivitas & 4. servitus. Monachismus seu vitæ solita-  
 riæ electio, est si alter conjugum, ambove in monasterium fuerint  
 ingressi, studio colendæ castitatis. Nov. 22. cap. 5. Nov. 117. cap. 10. l.  
 sancimus. 53. §. ad hæc. 3. C. de Episcop. & Cleric. l. a Deo nobis 56. vers.  
 nam & maritis. ead. Auth. quod hodie C. de repud. Ratio cur matri-  
 monium ita solvi possit, est partim favor & studium religionis &

castita-





castitatis sive continentiae, majorisq; perfectionis, quam homines  
in monasteriis se assecuturos existimabant. Consultiss. Dn. D.  
Cunrad. Rittershus. part. 4. Novell. cap. 7. n. 9. partim quod mo-  
nachismus morti comparetur. *can. placuit 8. & can. sunt nonnulli. 16.*  
*q. 1.* Quid vero factum fuerit de bonis conjugum, matrimonio  
per hunc modum soluto, ex dictis legibus C. de Episcop. & Cleric.  
patet. Poenae quoq; quibus afficiebantur conjuges, qui post di-  
vortium ex tali causa factum, quasi poenitentia ducti improbabili,  
aut alias contraxerunt nuptias, aut etiam stupro se polluerunt, re-  
censentur in *Novell. 117. cap. 10. & d. Auth. quod hodie.* Hodie re-  
cte moribus nostris, hunc solvendi matrimonii modum, usu non  
amplius frequentari, pie, orbi notissimus Dn. D. Cunrad. Ritter-  
hus. *supra alleg. cap. 7. n. 9.* demonstravit. Continentia enim & ca-  
stitas etiam in matrimonio servari, & Deo serviri potest, minimeq;  
statione vitae, ad quam quis à Deo vocatus est relicta, in monasteri-  
um se abdere, necesse est, quod sapissime Chrysostomus in suis  
homiliis (quamvis alioquin vitam monasticam magnis encomiis  
exornaverit,) inculcavit.

#### XIV.

Quod secundò debilitatem seu impotentiam mariti concer-  
nit (quæ vulgo etiam frigiditas dicitur *t. t. extr. de frigid. & malefic.*  
& à Cujacio *Nov. 22. oscitatio*) ita jus est. Ante Novellas fuit hæc cau-  
sa legitima mittendi repudii, si maritus cū uxore, ab initio matrimo-  
nii, intra biennium continuum, nunquam coire vel rem habere po-  
tuisset. *l. in causis. 10. C. de repud.* Sed Justinianus biennium illud  
mutavit in triennium, & hunc modum inter eos retulit, quæ bona  
gratia dicuntur matrimonium solvere. Ratio cur hic sit modus  
solvendi matrimonii in aperto est, quia consensus ille quo initur  
conjugium, vi ipsa hanc in se habet conditionem, si maritus idoneus  
& aptus ad matrimonium fuerit, & ea propter marito non idoneo  
invento, matrimonium dissolvitur, & perinde habetur, ac si contra-  
ctum non fuisset: quemadmodum de muliere quæ nondum viripo-  
tens nubuit, traditum est, eam non videri nuptam, quia virum pati  
non potest, in *l. quod pupilla. penult. D. quando dies legator cedat.*  
D. Besold. in discursu de nupt. cap. 11. n. 4. Harpr. ad §. 11. 7. de nupt.





num. 148. Qui enim consensus esse possit, cum unus fallat, alter  
erret? nam fallit impotens, errat potens. Beust. de matrim. part.  
2. cap. 14. Et qui suæ impotentiae sibi conscius nihilominus nupti-  
as inuit, & benedictioni Ecclesiae, foecunditatem apprecantis, se si-  
stit, non tantum credulam sponsam fallit, sed & Ecclesiam & Deum  
ipsum ludibrio habet, & proinde nec contractus tenet, nec benedi-  
ctio locum invenit. Arnif. d. cap. 6. sect. 8. n. 27. Rara quoque a-  
vis in terra est mulier, quæ imbecillitatem viri sic occultet, ut inte-  
gros undecim annos frigidum virum quam patientissimè terat,  
quod Simonis Grynæi conjugem fecisse, ex Philip. Melanch. Beust.  
supra d. cap. notavit. Illustrius in Principe foemina exemplū recenset  
Petrus Bembus de Guido Ubaldo & ejus uxore, *Qui quatuor atq;  
decē amplius annos unā vixerunt & cubarunt, quæ mulier tñ. tam  
longo tempore, ob viri impotentiam nunquā quæsta fuit, nec ullum  
ulli mortalium verbum ea de re fecit, sed virum hilari vultu so-  
lata oravit, ut fortunæ injuriam fortiter sustineat: bono animo  
esse jussit, nihil sese minus eum amare, aut in posterum amaturam  
affirmavit, & quem domo pudicitiae suæ florem ad illum attulerit,  
eum se usq; ad rogum perlaturam promisit; ut q; dixit, fecit, adeo  
ut interea non solum populi, sed ipsi etiam eorum familiares inti-  
miq; sterilitatis culpam ad mulierem potius traducerent, quam ad  
virum.* Petrus Bem. ad Nicolaum Teupolum de Guido Ubaldo  
Ferretio, deq; Elisabetha Gonzagia Urbini Ducibus. Triennium au-  
tem Imperator expectare jussit, favore matrimonii, ne id præmatu-  
re rumpatur, & ut intra illud sat longum temporis spatium, vires  
suas experiatur, vel etiam medicamentis debilitati succurrat. Dn.  
D. Rittershus. supra dict. cap. Saepe enim qui uno anno debilis fu-  
it, altero factus est vegetus, & Plautino verbo probè peculiatus.  
Sed discrimen hic ponendum inter impotentiam quæ habitum, ut  
loquuntur Philosophi, radicitus tollit, & actum omnem secuturum  
excludit, & quæ habitum quidem ad tempus suffocat, post aliquod  
intervallum, ope medicamentorum restituendum. Item observa-  
tur hodie an ante matrimonium quis dicatur impotens fuisse, vel  
constante matrimonio sit factus impotens. Si enim ante matrimo-  
nium conyineatur fuisse impotens, divorcium non rectè fieri posse  
certum.





certum est, cum ab initio nullum fuerit, sed fit tunc potius declaratio, ut alii sciant illam societatem non fuisse conjugium. Schneidew. *Inst. de nupt. part. 4. n. 22.* Sed si impotentia constante matrimonio accidisset, tunc matrimonium propter istud superveniens impedimentum dirimi non debet. *per can. 25. caus. 32. q. 7.* Johan. Cöpen *observat. practicab. observ. 47.* maxime si sine culpa tale impedimentum uni ex conjugibus accidisset. Beust. *supra alleg. loc.* De variis impotentiae discriminibus, tam naturalibus, quam ex ligatura magica (quam in Galliis familiariter se observasse Arnif. *d. cap. & sect. n. 19.* testatur, adeo ut plerumq; sponsi missis nocturnis antequam luceat, copulentur, ne ab incantatoribus per lucem conspiciantur,) videri possunt Scholastici ad 4. *sentent. dist. 34. Panorm. & Hostiens. rubr. & t. t. de frigid.*

### XV.

Quid autem si vitium non sit in viro sed in muliere, quod fieri posse putat Ulpian. in *l. queritur 14. §. mulierem 7. D. de adilit. edict. cap. penult. extra de frigid. & malefic. & Beust. de matrimon. cap. 14.* Et notandum, ex tali causa soluto matrimonio & dotem restituendam esse uxori sine ulla deminutione, & donationem propter nuptias penes maritum remanere debere. *d. l. 10. in fin. C. de repud.* quia nulla culpa hic intervenit cujusquam, sed potius calamitas. Non debet ergo esse poena ubi nulla est culpa *l. sancimus. 22. C. de poen.* neq; afflictio addenda afflictio, quod fieret si vel mulier vel vir ob debilitatem donatione propter nuptias ex parte vel in totum multaretur. *Dn. D. Rittershus. d. l. n. 10.* Olim in Romana Ecclesia hæc fuit consuetudo, ut etiamsi quis cum uxore, suo vel uxoris vitio, congregari non potuisset, ipsam tamen propterea non dimitteret, sed tanquam sororem retineret. *can. requisisti. 2. 33. q. 1. cap. consultationi. 4. extra de frigid. & malef. ubi Cujac.* Et hæc de impotentia: plura videri possunt apud Joachim. à Beust. *dicto cap. 14. & seqq.* ubi diligenter, quomodo hoc casu sit procedendum, & quæ sententia formanda, tradit. Huic doctrinæ de impotentia, opponitur, & vitio datur nimia potentia, seu nimius amor mariti, elegans hac de re extat *can. origo. 5. caus. 32. quest. 4.* quæ licet propriè ad divortiorum materiam non pertineat, tamen huc apponere lubet

Origo



Origo, inquit, Hieronymus, amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insanat. Unde & Xistus in sententiis, Adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare conjugem, non affectu. Rege impetus voluptatis, nec præcepta feretur in coitum. Nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se causa Reip. & generis humani uxoribus jungi, & filios procreare, imitentur saltem pecudes: & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos.

### XVI.

Impotentia vicina est & illa quaestio. An propter sterilitatem quoque sit concedendum divortium? Distinguendum est inter jus vetus & novum, nec non inter jus Canonicum & Civile. Jure veteri sterilitas iustam divortii causam præbebat. *l. vitricus 60. §. 1. in fin. & l. 62. D. de donat. inter vir. & uxor. ubi & Gothofr. in not. qui exempla Romanorum ex Valerio & Gellio annotat. & supra de Sp. Carvilio diximus, qui tamen Valerio teste lib. 2. cap. 1. non sine reprehensione populi hoc fecit, addit enim eum, quamvis tolerabili ratione motus fuerit visus, tamen reprehensione hominum non caruisse, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur. Tartari olim pro uxoribus non habuerunt mulieres, quæ non pepererunt. *Pantal. in descript. Tart.* Et Solon ex sterili matrimonio robustum juvenem extrahi voluit, ne in sinu vetulae pinguescens, sua culpa familiam contabescere sineret *Plut. in Solon. Arnif. d. cap. 6. sect. 8. n. 4.* Novo autem & maxime Canonum Jure hoc mutatum est: nam quamvis parentes liberorum procreandorum animo & voto uxores ducant. *l. liberorum. 220. §. præter hæc. 3. ff. de V. S. & licet mulieres ad hoc natura progenuerit, ut partus ederent, & maxima eis cupiditas ad hoc sit constituta. l. 2. C. de indict. vid. toll.* tamen non unus saltem conjugii finis est, sed plures, & cessante una causa dum viget altera non cessat dispositio. Manet ergo vinculum nuptiarum, etsi proles cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur. *Augustin. in c. 27. tantum valet. caus. 32. q. 7.* Consultiss. Dn. D. C. Rittershus. *in differ. jur. Civil. & Can.**



canon. lib. 2. cap. 13. Joh. Borcholten *tr. de gradib. Cap. quando  
matrimonium solvatur. p. 132.* Deinde ad inducendam divortium  
debent esse probationes evidentes, at plerumq; incertum est, unde  
sterilitatis origo accersenda, an ab uxore, vel marito, cum non ra-  
rò quod uxori imputatur vitium, in viro hæreat; interdum enim,  
mulier in culpa est, interdum vir, interdum uterq;, & tunc esset ini-  
quissimum, soli uxori exedendum obtradi, quod ambo intrivissent.  
Ad misericordiam divinam steriles confugiant, ad quam Jacob sto-  
machose nimis liberos efflagitantem Rachelem remisit *Genes. 30.*  
*vs. 2.* quam etiam pia Anna, cum ad sedandam æmulationem Phe-  
nennæ, nil haberet reliquum, exoravit. *1. Sam. 1.* confer exemplum  
Saræ. *Genes. 11. Heb. 11. vs. 11.* uxoris Manosæ. *Judic. 13.* & Eliza-  
beth. *Luc. 1.* Neq; enim in potestate agricolarum est, ut fundus  
diligentissime ab iis constitus, fructus semper ferat. *Georg. Schen-  
born. lib. 1. politic. cap. 6. in fin.*

*Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratris  
Semina, qua magno fœnore reddat ager.*

*Tibul. eleg. ult. lib. 2.*

Interdum tamen

*Fallitur augurio spes bona sepe suo.*

*Ovid. ep. 16. Heroid.* Donum Dei sunt liberi, & mulieris venter  
de super fœcundatur *Psalms. 127. vs. 4.* & Deus est qui facit sterilem  
habitare in domo, ut læta de sæ prolis mater evadat. *Psalms. 113. vs.*  
*fin.* Deniq; compertum est, mulieres quæ nunquam pepererunt,  
anno demum quinquagesimo peperisse, referente Borcholten *su-  
pra alleg. cap. de gradib. & Arnif. testatur, se novisse nobilem fœmi-  
nam, quæ octodecim annos cum marito steriles exegerit, postea  
vero inter triennium trium puerorum mater facta sit. d. sect. 8.*  
*n. 13.*

### XVII.

Sed ut ad duas posteriores causas tandem veniamus, solveba-  
tur captivitate matrimonium, si alteruter in hostium potestatem  
venerit. *l. 1. D. de divort. l. 8. D. de captiv. & postlim. revers. l. 12. §.*  
*4. l. 56. D. solut. matrim.* Excipiebatur tantum liberta nupta pa-  
trono suo: hujus enim matrimonium durabat etiam in captivitate

C

patro-





patroni, ejusdemq; mariti, proindeq; facultatem nubendi alteri non habebat *l. in eo jure. 45. §. fin. D. de Rit. Nupt.* ubi & ratio additur his verbis: *propter reverentiam patroni.* Jure verò Novellarum captivitate non statim solvitur matrimonium. Nam aut constat maritum vivere in captivitate, aut incertum est, an vivat, nec ne. Priore casu si constat, captivum conjugem vivere, is qui in Civitate remansit, quamdiu hoc certum manserit eum superesse, nunquam potest ad secundas nuptias pervenire: quod si attendaverit, dote aut donatione propter nuptias multabitur: imò & pro adultero aut adultera reputabitur, ac punietur. Posteriore casu, alter alterave conjux expectare cogitur, donec integrum quinquennium à tempore captivitatis effluerit: & tunc demum si tanto tempore nihil compertum fuerit de vita aut morte captivi, impune transitus fiet ad secundum matrimonium, quasi priore matrimonio bona gratia soluto, etiam absq; libello repudii. *Nov. 22. cap. 7.* Leo Imperator in sua *Novella 33.* hoc mutavit, & prohibuit ullo modo contrahi nuptias, nisi planè certum nuntium mortis mariti mulier acceperit, & jus Canonicum ferè ad constitutionem Leonis accedit, ut patet *ex cap. 19. in presentia. extr. de sponsal.* Ampliss. & Excellentiss. Dn. D. Ludwell in not. MSS. ad Wes. tit. de divort. Sed quid de militibus in expeditione degentibus, dissolvitur ne matrimonium si maritus in militia absit? distinguendum & hic est inter tempora: nam 1. fuit tempus cum ob militiam matrimonium bona gratia dirimeretur, teste Cajo in *l. vel senectutem. 61. D. de donat. inter vir. & uxor.* 2. successit constitutio Constantini in *l. 7. uxor. C. de repud.* ubi uxori per quadriennium expectandum, & duabus ibi adscriptis conditionibus observatis, licuit mulieri impune alteri nubere. 3. Justinianus *Nov. 22. cap. 14.* quadriennium illud commutavit in decennium, cetera verò Constantini Constitutionem suo loco reliquit. 4. Idem Justinianus per *Novell. 117. cap. 11.* decennium hoc sustulit, & mortis nuntium certum requirit, & tunc comperta morte, adhuc annum mulierem expectare jubet. Ex quibus apparet, absentiam in militia tandem per Justinianum ex numero causarum dirimendi matrimonii plane fuisse expunctam. Nobiliss. Dn. D. Rittershus. *d. l. n. 11.*

XVIII. Sequitur





### XVII.

Sequitur nunc ut de servitute quid dicamus: nam & hæc est modus solvendi matrimonium bonâ gratia, si alter conjugum ex libero homine fiat servus, verbi gratia, si libertus aut filia liberti ob ingratitudinem adversus patronum ab eo in servitutem revocetur. *d. Nov. 22. cap. 9.* Ratio est, quia superveniens servitus non multum à morte differt, ut est in regulis Juris *l. 32. l. 209. de R. 7.* Item quia inter servos jure Romano non est connubium, neq; libero homini cum servo vel serva; non etiam est dos, non donatio propter nuptias *l. 3. C. de incest. & inutil. nupt. l. 7. ff. de agnosc. & al. liber. l. 58. ff. de condit. & demonstrat.* Et hæc ita se habent jure civili Justinianæo: secus est de Jure Canonico. *can. si quis liber. 2. & can. si fœmina. 5. 29. q. 2. & t. 1. de conjug. servor.* Consultiss. Dn. D. Ludwell. *disp. 2. ad Inst. th. 3. lit. a.* Cum autem hodie veros servos Christiani non amplius habeant, sublatis Dei beneficio istiusmodi inter nos servitutibus, nō est quod de hac re amplius laboremus, & de Canonistarum impuris Disputationibus (*verbi gratia, si Dominus petat servitium à servo, & uxor debitum eodem tempore, quis sit preferendus? item si maritus moveret uxori litem conditionis, an pendente lite possit debitum exigere?* De quibus qq. est *gloss. in c. proposuit. in verbo, servitia. & in verbo audivit, & quæ ibi notantur. de conjug. servor. & in c. inquisitioni. §. fin. de sent. excommunicat.*) magnopere sumus solliciti.

### XIX.

Modi qui contingebant interveniente repudio, & quibus ex causis repudium conjugii mitti poterat, duplices sunt in novellis nostris. Aut enim repudium rationale est, quod fit ex justis legitimis & probabilibus causis; vel irrationale, quod sine illis. *Nov. 22. cap. 15. si verò altera. & cap. 16. si verò. in pr. & Nov. 117. cap. 8.* Et hoc jure factum est, ut causæ repudii in constit. Theodos. *in d. l. 8. §. 1. C. de repud. ad breviorum numerum sint contractæ, quibusdam abscissis, per d. Nov. 117. cap. 8. quia verò plurimas. in verbis; ex his abscindere aliquas, quæ nobis indignæ ad solvendas nuptias visæ sunt: atq; factum est, ut quædam quæ ante justæ repudii causæ fuerant, hodie non amplius sint justæ, non dico de moribus nostris, sed ne quidem*



ipso iurē civili. Pleraq; constitutiones Codicis repetuntur quidem in *Novell. 22. cap. 15.* & tres aliæ *Nov. 22. cap. 16.* in persona uxoris à marito repudiandæ, (quæ ibi videri possunt) super adduntur. In d. vero *Novella 117. cap. 8.* Imperator ex illis supra enumeratis repudii causis tantum 7. retinuit in uxore, ob quas ea à marito repudiari possit. videlicet 1. crimen læsæ majestatis. 2. adulterium, 3. insidias vitæ aut conscientiam ac reticentiam insidiarum viro suo ab aliis paratarum. 4. Convivia cum viris extraneis nolente marito celebrata. 5. lavacrum cum viris extraneis, invito marito. 6. foris abnoctatio nolente viro. (hoc dupliciter limitatur, prior est exceptio nisi mulier sit apud suos parentes; altera, nisi maritus sine causa domo expulerit uxorem, eaq; parentes nullos habeat superstites, quibus cum pernoctare possit, ut necessariò cum aliis manere cogatur. *d. Nov. 117. c. 8. §. si verò contigerit*) 7. & ultimò ponit Imp. spectacula ludorum circensium, vel theatrorum vel amphitheatrorum, ignorante vel prohibente viro ab uxore frequentata. Ex illis autem causis, ob quas Justinianus antea volebat virum ab uxore repudiari posse, tres tantum retinuit & confirmavit, & tres alias novas addidit, ut ita sex tantum causas voluerit esse justas ac sufficientes ad virum ab uxore repudiandum. Prima est crimen læsæ majestatis. 2. insidiæ vitæ uxoris, vel ab ipso marito structæ, vel ab aliis ipso conscio ac reticente, vel dissimulante, neq; vindicante. 3. lenocinium à marito attentatum (& hæc nova repudii causa a Justiniano primum inventa.) 4. calumniosa adulterii accusatio, id est, si de adulterio accusavit uxorem, nec probavit crimen quod intendit (hæc quoq; nova est) 5. si maritus domi suæ in contemptum uxoris cum aliis mulieribus consuescat. & ultima 6. causa, superiori vicina, est luxuria mariti in alia domo, in eadem civitate frequenter versantis cum alia muliere, a qua abstinere recusat, post iteratam admonitionē factam sibi à parentib<sup>9</sup> vel suis, vel uxoris suæ. Ex his igitur quæ diximus jam liquet per *Nov. 117.* maritum quidem posse uxori repudium mittere septem ex causis uxorem verò marito tantum ex sex.

X X.

Ad ea quæ de causis repudiorum diximus, pertinere videtur illa



illa Justiniani sanctio minime contemnenda in Nov. 117, cap. 14, de  
pœna malæ tractationis sive sævitæ. Etsi enim mariti sævitia in  
uxorem, quam flagellis forte vel fustibus servilem in modum cæci-  
dit, hodie ex d. Novella non amplius est justa repudii causa, sicut  
olim ex constitut. Theodosii erat in l. 8. C. de repud. Non impune  
tamen maritus ita sævit in uxorem, Sanchez. lib. 10. disp. 18. n. 16.  
quin potius etiam constante matrimonio uxori, pro pœna atrocis  
illius injuriæ tantum dare cogitur, quantum facit tertia pars dona-  
tionis propter nuptias, sive ante nuptialis largitatis d. c. 14. Nov.  
117. Dn. D. Rittershus. part. 4. Novell. cap. 8. n. 12. Quod quan-  
quam ita constitutum est, tamen sævitia mariti & mala tractatio  
conjugis hodieq; justa est causa, ob quam mulier a viro aufugere,  
& secedere possit, & separationem thori petere, imò etiam alimen-  
ta sibi præberi extra domum mariti, aut dotem restitui. c. ex trans-  
missa. 8. ibiq; Panormit. & alii Canonistæ. extra de restit. spoliat. Cæ-  
terùm non statim neq; temerè huc descendendum est, ut fiat sepa-  
ratio, sed omnia prius tentanda sunt, ut maritus a sævitia desistat,  
verbi gratia, Judex ad instantiam uxoris sub comminatione certæ  
pœnæ debet marito præcipere, ne deinceps in ipsam sæviat. Item  
exiget ab eo hoc nomine cautionem idoneam ac sufficientem, da-  
tis pignoribus vel fidejussoribus. Quibus remediis si nihil profi-  
ciat, tãtaq; sit nihilomin⁹ mariti sævitia, ut uxori nullo cautionis re-  
medio securitas procurari possit, tunc demum ad thori separationē  
veniendum est, vinculo tamē conjugii remanente. Si autē marit⁹ nō  
posset cautionē per fidejussores aut pignora præstare, (cum difficile  
sit fidejussores invenire) standū esset ejus juratorix cautioni, ut tra-  
dit Hippol. Riminald. in gl. matrimonial. cons. 87. n. 37. cum seq. quod si  
verò parti innoce ti per cautionem præstitā nō satis esset prospectū,  
posset nocens pars carcere castigari, & in eo tam diu detineri, do-  
nec mitior fieret. Johannes Cöpen obs. 45. & Consultissimus Dn.  
D. Rittershus. lib. 2. de differ. jur. civ. & Canon. cap. 12. Joachi-  
mus à Beust. hanc habet cautionis formam part. 2. tract. de jure con-  
nubior. cap. 10. Nach dem Sempronius mit seiner Hauffrauen der Titia,  
eine zeithero nicht allein in widerwillen gelebet / sondern auch dieselbe mit  
schlagen und rauffen übet gehalten / daher sie geursacht bey uns zusuchen /  
daß Ihr von Ihrem manne caution und versicherung bestel und aufge-  
richtet

etuntur qui-  
in persona  
super addun-  
is supra enu-  
quas ea ma-  
aris. 2. adul-  
in insidiarum  
extraneis no-  
aneis, invito  
citer limita-  
; altera, ni-  
ates nullos  
ellario cum  
7. & ulti-  
eatorum vel  
b uxore fre-  
antea volebat  
& confirma-  
voluerit esse  
Prima est  
ipso marito  
ulante, neq;  
ac novare-  
osa adulteri  
c probavit  
us domi suæ  
& ultima-  
no, in eadem  
abstinere re-  
vel suis, vel  
107. ma-  
caulis us-

videtur  
illa



vichtet würde/ damit sie künfftig vor ihme sicher sein möchte. Als hat heut dato Sempronius mit hand und munde an Sydesstatt uns angelobet und zugesagt / seinem Weibe hinfuro mit vernunft und guter bescheidenheit bewohnen/ und ihr als einem schwachen gefäß etwas zu gute zuhalten/ daß sie sich auch nichts thätlich vö ihme zubefahren habē solle. Und damit Sie dessen so viel mehr versichert sein möge / so hat er ihr Marium, Paulum und Cajum, zu friedensbürgen gesetzt/ dergestalt / wan er sich ferner so an ihr vergreifen würde, das er die ihm zuerkante straff dulden und leiden wolle/ dafür auch erstermelde bürgen jederzeit haßten wollen unnd solken / inmassen sie solches vor uns gewilliget und zugesagt/ damit die frau vor dißmahl zu frieden gewesen / und sich hinwider erkläret/ uns auch gleicher gestalt mit hand und munde versprochen/ sich gegen ihrem Ehemann/ als einem Ehliebenden gehorsamen Eheweibe gebüret / jederzeit zuverhalten. Und solle hiemit all daß jenige / was zwischen ihnen aus verdacht/ argwohn/ mißverständnis oder sonsten hergeslossen und darauß allerley beschwerden erregt worden / tod/ nichtig und gänzlich ufgehoben seip/ alles freilich und sonder gefärde &c. De hac cautione, quæ dici solet de non offendendo videri potest Dn. D. Cunr. Rittersh. *dicta Novellar. part. cap. 10. num. final.* ubi dicit, hac de re extare duo pulcherrima consilia, quæ qui legerit, nihil fere amplius quod huc pertineat, desideraturum esse. Unum Martinii Uranii, quondam Professoris Tubingensis. *tom. 2. consil. 66.* alterum Joh. Borcholti *cons. 16.* & addi posse Schurffium *cons. 42. cent. 1.* Eleganter quoq; explicarunt hanc materiam. *Harpr. ad §. 11. de nupt. Kubach. cent. 2. questio. illustr. politic. jurid. decur. 1. quest. 8.* Borcholt. *de gradibus p. 135. & aliquot seqq.* ubi etiam de aliis quæ in jure ob savitiam conceduntur: verbi gratia, quod dominus servos vendere cogatur, si in eos nimium savierit. *l. 2. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt §. sed & major. Inst. cod.* Item quod pater cogitur emancipare filium, quem acerbius, quam pro paterna pietate debuit, traxit. *l. ultim. ff. si a parente quis manumiss. fuerit. gloss. in §. ult. quibus mod. jus patriæ potest. solv.* Item quod ob savitiam socii liceat etiam ante tempus a Societate recedere. *l. si conveniat. 14. D. pro socio.* Deniq; quod vasallus feudo privetur, si in subditos saviat, Bald. *in d. l. 2. de his qui sui vel al. jur. sunt Alex. in l. bene a Zenone C. de quadrienn. prescript.*

XXI. De.



## XXI

Deniq; continetur alia sanctio *in d. Nov. 117. c. 15.* qua potestas conceditur marito suis manibus occidendi vel interdum etiam iudici, vel defensori Ecclesie, vel aliis clericis tradendi eum, qui testato admonitus scripto, adhibitis tribus testibus fide dignis, ut abstineret a congressu & colloquiis suae uxoris, cum qua ne probrum aliquod perpetraret suspectum habebat maritus: non tamen parum nec abstinuit. Inprimis autem exaggeratur illa turpitudine per circumstantiam loci, si impudica ejusmodi colloquia, & adulterii quasi praeludia, in ipsis Ecclesiis, aliisque venerabilibus locis miscant. Sed hoc jus in desuetudinem abiisse, & alia nobis remedia superesse (locum enim habet hoc casu etiam injuriarum actio, quae marito competit) quibus occurri possit alienae uxoris adlectationi docuit Excellentiss. Dn. D. Rittersh. *d. l. cap. 8. n. 13.* Adde quod nationes nonnullae magis fidant uxoribus suis. Melius de suis uxoribus Germani, Galli & Angli praesumunt, quam Itali: nam totos dies & in Anglia & in Galliis otiosae mulieres deducuntur per hortos & plateas confabulatum, quod sine stupri suspitione in Italia a nemine tentari posset. Arnib. *d. cap. 6. sect. 10. n. 22.*

## XXII

De poenis nunc injusti divortii sive discidii aut dissidii restat dicendum. Jus vetus partim extat apud Ulpianum *lib. Reg. t. 6. de dotibus*, quarum poenarum & Paulus meminit *in l. 8. ff. de captiv. & postlim. revers. ibiq; Gothofr. lit. h.* quae poenae olim partim retentione, partim iudicio de moribus petebantur. Hubert. Giphon. *in Commentar. ad ll. Cod. l. 8. de repud. prope fin. qui ibi plurimas allegat ll.* sed cum iudicium illud vetus quod de moribus appellabatur hodie sublatum sit (*unde tit. in Cod. ita concipitur, de repudiis & iudicio de moribus sublato*) una cum differentia illa, quae erat inter mores graviores & leviores, quae in iudicio illo post repudium observabatur (de qua videri potest *Cuj. ad Nov. 22.*) nolimus in obsoletate immorari; videndum igitur erit de paucis ex jure Justiniano. I. est amissio dotis & lucrorum nuptialium, quae omnia ad maritum pertinent, vel si liberi extent ad eos proprietates, quod si dotem non dedit, habeat tamen bona parapherna, eorum quadrante, qui modo non excedat 100. libras



libras auri, mulctatur. *l. penult. §. si quis. C. de repud.* Ex quo loco Dn. D. Cunr. Rittersh. *d. c. 8. n. 11.* notat, quod maxima dos tempore Justiniani 100. librarum auri fuerit. Idem ex Cujacio, Juvenali, Martiali, Seneca, & Alciato olim decies centena millia nummum sive sestertiorum fuisse ibidem demonstravit. Imò mulier etiam si dotem dedit multatur ea, & hoc amplius quantum valet tertia pars dotis ex bonis paraphernis. 2. est ut quinquennium dimissa vel divergens ablineat matrimonio, sed si ipsa sine causa diverterit *ex Novell. 22. §. 117.* nunquam amplius potest nubere, sed in monasterium detruditur, si verò eam maritus justa de causa dimiserit, nubere denuo poterit intra quinquennium, excepto adulterii casu, quo in monasterium detruditur. *Nov. 134. c. 11.* hanc poenam dicit esse communem tam in viro quam uxore. Idem quoq; affirmat Dn D. Rittersh. *per text. in Nov. 127. cap. fin. & d. Nov. 134. cap. 11.* ubi subnectit, olim mulierem, sine causa justa divortium facientem, etiam deportationis poena affectam, omnia sua bona usq; ad aciculam capitis, id est, usq; ad rem minimam in domo mariti deponere, coactam fuisse.

### XXIII.

Soluto deniq; per divortium matrimonio, olim in arbitrio judicis stabat, an apud patrem, an apud matrem liberi sint educandi, statuere. *l. un. C. divort. fact. apud quem liberi morari aut educari debeant.* Sed novo jure in casu divortii, extantibus liberis, ii apud parentem, qui divortii causam non præbuit, alendi sunt expensis reæ partis. *Nov. 117. §. illud quoq; disponendum esse perspeximus.* Dn. Speidel. *supra allegat. spec. tit. Ehescheidung in fin.*

### XXIV.

Veniamus nunc ad modos quibus hodie & jure Divino, Canonico & civili matrimonium solvitur. Adulterio non sine causa nuptiarum dirimitur vinculum, nam in eo non tantum turpitudinis est stupri & violatio thori, qui quasi jurejurando confirmat<sup>9</sup> est, sed etiam partus substitutio improba, seminisq; scelerata commixtio versatur. *Gell. lib. 10. cap. 13. can. præcepit. Dom. 19. caus. 32. q. 5. can. dixit Dominus. cum aliquot seqq. caus. 32. q. 1. c. significasti. 4. c. ex literis. §. extr. de divort. quod probum natura turpe Ulpian. in l. 42.*

D. de



*D. de V. S. & Imp. Carol. V. in sua Nemese cap. 120. abominandum*  
& execrabile coram Domino malum appellant. Omne enim  
peccatum ait *Paul. 1. ad Cor. 6.* quod homo committit, extra cor-  
pus est, qui autem scortatur in corpus suum peccat. Si ergo, ut  
Apostolus nos docet, ex scorto & scortatore unum corpus fit, non  
potest non corpus suum intime & medullitus defadare, qui illud  
confundit cum impuro scorti sanguine. Differentia circa adul-  
terium inter jus Canonicum & Civile magna est. Nam jure Ca-  
nonico si uxor facta sit adultera, maritus eam dimittere potest, & se  
ab eius consuetudine separare quo ad torum & mensam, aliam ve-  
ro ipsa viva & vidente uxorem ducere non potest, sed ejus mortem  
expectare cogitur. Cur ita? quia fides tori, licet sit unum ex tribus  
bonis conjugii, si violatur, conjugale tamen vinculum non violat,  
ut ait *Innoc. 3. in cap. 13. per venerabilem. extr. qui fil. sint legitimi,*  
id est, matrimonii violatio sive adulterium (cujus hæc est peri-  
phrasis) non violat non dissolvit conjugale vinculum, & jus ejus,  
quo minus perduret, etiam post adulterium. (Secus in veteri  
Ecclesia, & parti innocenti permissas secundas nuptias fuisse, *Dn.*  
*D. Rittershus. antiquitatis solertissimus observator lib. 2. de dif-*  
*fer. jur. civ. & canon. cap. 8. ex Eusibii 4. de vita Constantini & Hie-*  
*ronymo, nos docuit). Jus verò civile omnimodo matrimonium*  
dirimit, etiam quoad jus, vinculum & substantiam ejus, ut proinde  
liceat nuptias iterare cum alio: Pontificium vero jus, divortium  
tantum inducit discidium, vel separationem corporum, sive con-  
suetudinem & convictum & cohabitationem conjugalem dirimit,  
ipsam verò matrimonii substantiam salvam relinquit, ut proinde  
neuter conjugum possit ad secundas nuptias transire. Jure igitur  
ac meritò hodie reformatæ Ecclesiæ recesserunt à constitutionibus  
illis pseudo canonum, & reprobato illo commentitio tori & men-  
sæ divortio, redierunt ad verum divortium, quo omnino dirimi-  
tur matrimonium. *Dn. D. Rittershusius d. cap. 8. de differ. jur. ci-*  
*vil. & canon. Idem parte 4. Novell. cap. 9. n. 3.* Sic quoque quamvis  
de jure civili mulier maritum de adulterio criminaliter accusare  
non potuerit. per *l. 1. C. ad L. Jul. de adulter.* hodie tamen propter  
constitutionem Caroli V. uxori permissum est, criminaliter accu-  
sare posse maritum de adulterio ad pœnam corpori infligendam.

D

Pein-





Peinliche Halsgerichtsordnung cap. 120. Nobilissimus Dn. D. Georgius Remus piæ mem. in *not. ad Nemesin. Karulinam dict. tit. lit. d.* Quando autem maritus ad divortium agit, tunc etiam per consequens agit ad dotis amissionem: nam quando matrimonium propter adulterium dissolvitur, tunc licet non declaratur per sententiam dotem ad maritum pertinere, tamen maritus lucratur eam *cap. plerumq. 4. extr. de donat. inter vir. & uxor. Beust. part. 2. cap. 31. in pr.* pari ratione & maritus ob adulterium privatur donatione propter nuptias, quæ uxori applicatur. *Cöpen. observ. 43. n. 9.* Nō tantum autem propter adulterium uxoris maritus dotem lucratur, sed & donationem propter nuptias & paraphernalia (quæ uxor præter dotem marito attulit, ut est mundus atq; suppellex mulieris, als Kleider/ Ihren schmuck und Kleinodien.) juxta gloss. communiter approbatam in *d. cap. plerumq. vs. non valebit. circa fin. ubi Canonista. de donat. inter vir. & uxor.* & attestante *Cöpen. d. obs. n. 10.* Sunt tamen nonnulli casus in quibus uxor adultera non potest repudiari. 1. si & ipse maritus de fornicatione convincatur, nam tunc quoad ipsos fit criminis compensatio *c. significasti 4. 32. q. 6. per tot. Sanchez de matrim. lib. 10. disp. 6. & disp. 8. n. 1.* coguntur simul manere in pœnam, qui simul peccarunt in opprobrium Reip. *l. 39. ff. solut. matrim.* Hac tamen compensatione seu mutua criminum dissolutione, jurisdictioni politicæ non detrahitur jus animadvertendi in facinorosos, & pœna politica duplicato utriusq; scelere, non extinguitur. *Arnisaus cap. 5. sect. 9. n. 4. in fin.* 2. Si maritus eam prostituit. *cap. discretionem 6. extr. de eo qui cognov. consanguin. uxoris sue.* huc pertinet *l. 47. cum mulier. ff. solut. matrim.* ubi eleganter ait Scaevola: cur improbet maritus mores, quos ipse aut ante corrupit, aut postea probavit. 3. Si cognita fuerit ab alio, quem credebatur esse proprium maritum *c. in lectum. 6. 34. q. 2. 4.* Si uxor credens virum absentem esse mortuum nupsit alteri. *c. cum per bellicum 1. 34. q. 1. Schneidew. part. 4. de nupt. n. 30. & seqq.* plures exceptiones habet Dn. D. Rittershus. *supra dicto cap. n. 9. & seqq.* Obiter hoc addimus, Pontifices non erubuisse adulterium inter leviora & minora crimina ponere. *cap. 4. in fin. extr. de judic.* quem Papæ lapsus sine calumnia excusari non posse, ipse Cujacius in recit. ad decretal. fateri cogitur. Et est manifesta repugnantia



nantia inter d. c. 4. & can. quid in omnibus 16. 32. q. 7. ubi dicitur  
quod in omnibus peccatis, nihil sit adulterio gravius.

**X X V.**

Anceps hic est quaestio, An divortio propter adulterium facto, innocenti sit permittendum ad secunda vota transire, vivente adhuc adultera? Canonistae uno ore concludunt, etiam innocenti propter adulterium alterius non permittendum contrahere matrimonium cum alia, vivente sc. adultera, sed innocens pars debet quoque manere in nupta, vel adultera remittere noxam, eamque ad se recipere. cap. 2. extr. de divort. Jus vero civile expresse permittit, ut etiam adultera vivente, innocenti liceat cum alia inire matrimonium d. l. consensu. §. virum s. ubi dicitur virum uxorem statim si velit ducere posse. Idem conceditur uxori propter adulterium mariti, ut post annum habeat nubendi facultatem. Theologi autem & consistoriales in Ecclesiis nostris hunc servant processum, quod adhortentur innocentem ad reconciliationem, & si innocens post multas admonitiones nocentem recipere noluerit, iterum admonent innocentem ut ab alio conjugio abstineat vivente adultera, sed si se continere & castè vivere non potuerit, & se ad aliud matrimonium conferre voluerit, tandem concedunt ei ut alii nubat. Cöpen. de obs. 43. n. 28. ubi dicit eam conditionem, wosern Er sich ohne gefahr seines gewissens auffer dem Ehestand nicht enthalten mag &c. inferendam esse in ipsa sententia super divortio, ex causa adulterii. Beust. cap. 24. d. part. 2. de matrim. Harpr. ad §. 11. 7. de nupt. n. 34. & seqq. Schneidew. d. loc. n. 35. Ratio nostrae affirmationis est, quod nulla obstat prohibitio divina, quin imò ex dicto Christi Matth. 19. Quicumque dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis (*πορνείας*) & aliam duxerit, mæchatur, bona consequentia à contrario sensu sic colligi posse videtur. Si quis propter causam fornicationis sive adulterii repudiata prior uxore ducat aliam, non mæchatur, sed justas celebrat nuptias: contraria enim sunt contrariorum consequentia. Est & hæc urgentissima ratio, quia si connubium cum alia persona innocenti denegaretur: tum hoc sequeretur absurdum, quod innocens lueret poenam pro nocente, cum tamen peccata suos tantum autores tenere debeant: nec ulterius progredi poenæ, quam reperiuntur delicta; quam





quam sententiam apud Livium quoq; legimus: unde orta est culpa, ibi poena consistere debet. Dn. D. Rittersh. *d. Novell. part. c. 9. num. 4.*

### XXVI.

Sequitur altera quaestio de parte nocente, an huic quoq; secundae nuptiae sint permittendae? Quaestio haec supervacua est in illis regionibus, ubi adulteria sunt capitalia, sicut sunt in Electoratu Saxonico & Palatino, paucisq; aliis Germanorum ditionibus. Sed si adulter vel adultera capite non plectatur ut passim fit, cum Dn. D. Rittershusio *lib. 2. de differ. jur. Civ. & Canon. cap. 19. Alb. Gent. lib. 6. de nupt. cap. 7. & Beuffio cap. 25.* putamus, si juridicè sit pronuntiandum, parti nocenti nuptias concedi non posse: hac tamen limitatione, nisi pars nocens non posset se continere & castè vivere, & aliò in regionem procul distitam migrare vellet, ubi vel ignoretur praeteritum ipsius crimen, vel à magistratu reciperetur ac toleraretur. *Dasß wann die Person ohne gefahr ihres gewissens ausser der Ehe sich nicht enthalten könte/ und Sie wolte sich ausserhalb landes begeben/ und die weltliche obrigkeit des ortes wolte solches gestatten/ daß zu verhütung hurerey/ und errettung ihres gewissens die Ehe zu dulden. Cöpen. d. obs. 43. in fin. Bocer. class. 1. disput. 9. th. 83.* Nam tribus his conditionibus concurrentibus, non improbat quorundam & Theologorum consistorium sententiam secundas nuptias etiam parti nocenti concedentium: ad quam confirmandam & glossæ auctoritas (quæ in jure Pontificio magna est) in *cap. 12. literis. verb. Spe conjugii extr. de presunt. facit.*

### XXVII.

Deniq; & illam subnectere lubet quaestionem. Utrum salvo honore & sine probro lenocinii, adulteram mulierem in torum vicissim admittere debeat maritus? Varia de hac quaestione variorum opinio. Augustin. *lib. 2. ad Pollent. c. 6. 7. 9.* putat, partem læsam de jure teneri ad reconciliationem, quæ argumenta Bellarminus *cap. 17. de matrim.* repetit. Bezavero *libello de divortis* refutat. Et quamvis Domitianus Augustus equitem Romanum, ob uxorem reductam, cum qua maritus ob adulterii crimen discidium fecerat, judicium albo eraserit, & nota affecerit. *Sueton. in Dom. Claudius*



Claudius quoq; Gorgus vir clarissimus uxore accusans, cū detectus  
esset, uxorem in adulterio deprehensā retinuisse, & sine accusatore,  
lenocinii a Divo Severo sit damnatus *l. 2. §. 6. ff. ad L. Jul. de adulter.*  
(licet ipsum Severum accuset Spartianus, quasi domi min<sup>9</sup> cautum,  
utpote qui Juliam uxorem tulerit, famosam adulteriis. *in vita Seve-*  
*ri.*) Tamen ut vulgò postquam pars læsa injuriam sponte remisit  
pœnam publicam minui testatur Jason *in l. transigere. n. 3. C. de tran-*  
*sact. per l. Imperatores. de jure Fisci.* Ita ex reformatarum Ecclesia-  
rum communi consuetudine persona condemnata, si gratiam ipsi  
fecerit læsa, honori conjugii condonari solet. citantur ab *Arnif.*  
*plurimi d. cap. 5. sect. 9. n. 1.* Condonatur ergo culpa adulteræ,  
quam pœnitenti Deus ipse remittit. Et omnino velle adulteræ  
resipiscenti fores mariti occiudere, ab humanitate & pietate esset  
alienum. Hieron. *in cap. 19. Matth.* Maculosum enim nefas de-  
leri potest in foro conscientie pœnitentiæ, in foro judiciali indul-  
gentia legis. *Arnifæus d. cap. 5. & sect. 9. n. 11.* Imperator noster  
Justinianus *Nov. 134. cap. 20.* in hoc negotio arbitrio mariti locum  
relinquit, ut intra biennium ex monasterio, si velit, uxorem adul-  
teram retrahat, & honori matrisfamilias restituat. Quis prohibe-  
bit, si maritus aliquid de jure suo remittere, & post naufragium i-  
dem mare iterum tentare, velit? Nulla id religio, nullaq; lex pro-  
hibet, modò id faciat post pœnitentiæ & cum venia Magistratus,  
sine qua non patiebatur Justinianus meretricem ad honestum ma-  
trimonium provolare. *l. imperialis 23. C. de nupt.* Et Canones  
remissionem peccatorum promittunt ei, qui meretricem ex lupana-  
ri extraxerit, ejusq; animam lucratus fuerit; est enim charitatis o-  
pus. *cap. inter opera 20. extr. de sponsal.*

### XXVII.

Dissolvitur etiam matrimonium desertione malitiosa *1. Cor. 7.*  
*vs. 15. & 39.* latè Beza *de repud.* Et desertæ personæ novam conju-  
gium superstitute deserente contrahere conceditur. Nam si teste  
Apostolo *1. Cor. 7. vs. 39.* desertus non est servituti obnoxius, con-  
sequitur, à lege alterius, id est, ab omni jure, quo persona desertrix  
eum obstrictam tenebat, liberatum esse: Vinculum ergò matri-  
monii dissolutum est. Nil quoq; hic interest, sive mulier maritum,

D 3

sive

le orta est cul-  
vell. part. c. 9.

ic quoq; secun-  
cua est in illis  
Electoatu Sa-  
onibus. Sed  
cum Dn. D.  
9. Alb. Gent.  
ridicè sit pro-  
le: hac tamen  
& castè vive-  
t, ubi vel igno-  
riperetur ac to-  
gerens ausse  
uffe hab lantes  
gestatten das  
Ehe zu dulden.  
Nam tribus  
quorundam &  
nupias etiam  
am & glossa au-  
literis. verb. Spe

Utrum salvo  
m in torum vi-  
raffione vario-  
tat, partem lz-  
enta Bellarmi-  
dovius refu-  
Romanum, ob  
andiscidium  
on. in Dom.  
Claudius





sive maritus mulierem deseruerit, inter utrasque enim idem ius ob eandem rationem statuendum arg. l. 108. de V. O. cap. inter corporalia 2. ibi, idem iuris obtinet in utroque. de translat. Episcop: quoad fidem vir & uxor pari passu ambulant c. precepit. 19. c. apud nos. 20. & c. fin. 32. q. 5. Est autem duplex desertio seu absentia, alia est necessaria seu probabilis, alia verò est malitiosa. Nobiliss. & Excellentissimus Dñ. D. Nicolaus Rittershus Fautor & Præceptor noster colendissimus, in suis Conclusionibus juris de absentia, th. 18. Quando maritus abest ex iusta & necessaria causa, tunc olim uxor tenebatur expectare ad certum tempus, de quo supra dictum, hodiè donec certum nuncium mortis habuerit per cap. Dominus. 2. extr. de secund. nupt. ubi Lucius III. universis Christianis in captivitate Saracenorum constitutis rescripsit: ne quis ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod conjux eius ab hac vita migrarit, & certus de obitu eius fuerit. In quo tamen capitulo est ridicula & sacerdotali cura indigna sanctio, ut si quis forte præmaturè non expectato certo nuntio de morte absentis conjugis, cum alio aliave matrimonio contraxerit, provocari quidem ipsum ad rem à secundo conjugè posse, non etiam provocare, h. e. τὴν ὀφειλὴν exigere eum non posse. Malitiosam desertionem eam vocamus, quando quis à conjugè discedit & diutius abest, nulla honesta causa coactus, sed vel levitate seu impatientia freni conjugalis, vel aliis non necessariis causis vagatur. Wann der mann sein weib vorsehlicher weise, und ohne ursach siben läst und davon zeicht. Beust. d. part. 2. cap. 26. Sic desertorem (citante Arnif. d. c. 6. sect. 6. n. 3.) describunt mulieres comicæ:

*Dum nos colo affigunt & foco  
Impune interdum noctuq; liberis lustris student,  
Alienas permolunt uxores &c.*

*Fundum alienum arant, incultum familiarem deserunt.*

Habemus etiam de desertore textum in c. perlatum. 8. extr. qui filii sint legitimi. ubi Panorm. post. Innoc. subjicit, contra maritum malitiose absentem ad divortium usq;, tanquam contumacem procedi posse. Qui textus fundamentum consuetudinis, qua Consistoria & Ecclesiæ Reformatæ vivuntur, continet, ubi pars deserta



& innocens potest divortium petere, & ad secunda vota transire.  
Nobiliss. Dn. D. Cunr. Rittershus. in diff. jur. civ. & canon. lib. 2.  
cap. 14. & Hujus Nobilissimus æquè filius Dn. D. Nicol. Rittershus.  
Dn. & Hospes noster honoratissimus ad. conclusion. th. 72. Ratio-  
nem hanc reddunt 1. quia talis desertio malitiosa raro est sejuncta  
ab adulterii crimine, ut Beza rectè in libello de divort. hæc conjicit.  
2. quia si deserto innocenti conjugii divortium non concederetur,  
tum fieret ut pars innocens suo jure absq; ulla sua culpa privaretur.  
3. fieret ut laquei innecterentur conscientia. fieret deniq; 4. ut ali-  
eno odio quis prægravaretur, & delicta etiam alios tenerent, quam  
suos autores, quæ omnia essent manifesto juri contraria. Beust. d.  
cap. 26. qui ibidem docet, qualis in hoc casu debeat observari pro-  
cessus, quomodo & quoties citandus & condemnandus sit absens  
& desertor malitiosus. cap. 27. 28. & seq.

X X I X.

Non incommode hic quærent Dd. An uxor teneatur maritum  
vagabundum sequi? Hic cum Nobilissimo Dn. D. Ludwello in  
fin. D. de divort. not. manuscr. ad w. Wesenb. distinguendum putamus:  
Aut enim maritus erat vagabundus tempore contracti matrimonii  
(quemadmodum multi tales histriones & ardeliones reperiuntur,  
die an feinen orth bleiben können/ de quibus Seneca ait, nusquam est,  
qui ubiq; est,) & uxor sciebat eum esse talem: aut tempore contracti  
matrimonii non erat talis, vel uxor ignorabat eum talem esse. pri-  
ori casu tenetur uxor eum sequi, censetur enim mores ejus appro-  
basse, & sibi imputare debet quod tali errori nubserit; posteriori  
non. Notandum hoc non procedere, si non malitiose maritus pe-  
regrinetur, & se ad alia loca transferat, forte mutando domicilium,  
tunc enim uxor eum sequi tenetur. Beust. cap. 32. per plurimos  
alleg. Quod verum est, etiam si maritus se in pactis dotalibus, aut  
alio modo obligasset, quod non vellet discedere à loco vel domici-  
lio uxoris. Quia si superveniret justa discedendi causa, v. g. si ma-  
ritus ibi incideret in capitales inimicitias, vel quia aer istius loci  
non vellet eum ferre, vel quia non posset se & conjugem in eo loco  
alere, tunc tali pacto non obstante uxor eum sequi tenetur. Panor-  
mitan. in c. 2. num. 4. & 5. qui matrim. caus. accus. poss. quam senten-  
tiam



tiam etiam secutus Tiraquell. in ll. connubial. in l. 1. & istam esse communem opinionem dicit Beust. d. c. 32.

X X X.

Tandem canamus receptui, finemq; disputationi nostræ imponamus, ubi prius pauca de tribus subsequenter quæstionibus, & quæ nostra sit sententia dixerimus: nam & Dd. in hac divortiorum materia has quæstiones movere solent.

1. An propter morbum incurabilem possit fieri divortium?
2. An propter furorem supervenientem?
3. An propter delictum mariti?

Ad primam dicimus, quod Theologi & Consistoriales nostri hic cum Canonistis conveniant, & pronuncient, nequaquam esse facienda divortia propter morbos, nec deserendum esse ægrotum, maritum, nec uxorem ægotam, & nulla infirmitate etiam gravissima matrimonium consummatum dissolvi c. 1. & 2. de conjug. le. prof. c. hi qui. 25. 32. q. 7. & est elegans textus in l. si cum dotem. 22. §. si maritus. 7. ff. sol. matrim. ubi inquit J Ctus. Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse. Sunt enim vir & uxor una caro. in c. admone. re. 33. q. 2. Hinc Martia Catonis uxor maritum repetens apud Lucanum cordatè & ut Catonis uxorem decebat, respondit:

*Non me latorum sociam rebusq; secundis  
Accipis, in curas venio partemq; laborum.*

Et Euripides introducit honestam mulierem, dulce sibi esse dicentem, cum marito tristari, quem citat Arnif. d. cap. 6. sect. 9. num. 2. Aristoteles addit, honoratiorem fieri uxorem cum viro infortunato quam felici 2. æcon. cap. 1.

*Si nihil infesti durus vidisset Ulysses  
Penelope felix, sed sine laude foret.*

Ovidius. Et is qui tres pueros in fornace Babylonica illatos conservavit, poterit etiam à contagio liberum servare sanum conjugem:  
quem-




quemadmodum hujus rei exemplū refert Beust. *cap. 9.* Ad secundā  
dicimus, quod licet furor impediatur matrimonium contrahi pro-  
pter defectum consensus, furor tamen subsequens matrimonium  
contractum non dissolvat. *c. Dilectus. 24. extr. de sponsal. l. furor.*  
*8. D. de sponsal. l. 16. D. de R. N. l. 8. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt.*  
Ita enim maritus & uxor copulati sunt, ut læta & tristitia simul tolera-  
re debeant; etiamsi uxor furiosa sit, tamen adhuc caro tua est. Ad-  
huc enim lex divina tibi concionatur. Nemo carnem suam odio  
habuit Beust. *cap. 12.* & late Beza de repud. & divort. Ad tertiam  
producimus textum Juris Canonici *cap. 2. extr. de divort.* Ubi di-  
citur mulierem pro furto vel alio crimine mariti sui ab eo separan-  
dam non esse. Idem disponitur de jure civili. *in l. 24. vers. sin au-*  
*tem. C. de donat. inter vir. & uxor. l. 1. C. de repud.* Ubi dicitur, de  
portatione matrimonium, vel aquæ & ignis interdictione non sol-  
vitur. Idem pronunciat in Consistoriis nostris, & allegant The-  
ologi illud dictum, Quos Deus conjunxit homo non separet. I-  
tem dictum Christi Matth. 18. ubi Dominus jussit servum debentem,  
cum non haberet unde redderet vendari, & simul uxorem  
ejus. Sic etiam Lutherus *in 4. Genes. cap.* sentit uxorem Caini post  
commisum homicidium secutum esse maritum Cain, & coactam  
ferre calamitatem mariti. Hanc probat etiam sententiam in li-  
bello suo de causis matrimonial. *part. 2. Schneidew. d. part. 4. n. 49.*  
Beust. *cap. 13. d. part. 2.* Et tantum de divortiis pro ingenii nostri  
tenuitate, non pro materiæ dignitate impræsentiarum  
dicta sufficiant. Non pigebit autem sicubi hæsito  
quærare, & sicubi erro-  
discere.

TRINUNI DEO LAUS HONOR  
ET GLORIA.

FINIS.





AD

NOBILISSIMUM ET CLA-  
RISIMUM

DN: DOCTORANDUM.

I.

DEbita quò capiat, desudat, præmia vir-

(tus,

Nam spem de pretio quisq; laboris habet.

Impiger hâc causa vario certamine pulsus

Miles multa tulit, quæ meliora vovet:

Agricolæ per spem mandât sua semina sulcis,

Cur? quia post messes horrea farre replent.

Et tibi mox aderit post multiplicata laborum

Agmina, quem spondet Justinianus, Ho-

(nor.

*Cl. Dn. Affini gratulabun-  
dus scr: ULMÆ*

Vitus Niedlin/ Med. D.



I I.

Sic intrasse juvat Themidos penetralia sacra,  
Virtutemq; sibi vinclo sociasse jugali;  
Sic scandit fausto successu culmen honoris  
ZECHIUS, Aonidum coctus quem sede lo-  
(cabit

Celsâ. Namq; ferit supremo vertice virtus  
Sidera, ubi famam Cultorû Astræa coronat.  
Cæterâ cur calamus doctus *divortia* scribit,  
Qui nunc Justitiam nuptâ Tibi ducis Amice?  
Scilicet ut doceas vitiis divortia pravis  
Mittere, queis cordi est Themidos lustrare sa-  
(cellum.

*Ita Nobili & Clarissimo Dn.*  
*Doctorando sincero animo applau-*  
*debat*

Paulus Wörsel.

---

I I I.

*S*Itne tibi primus gradus hic ad munera magna,  
*Extremus potius sine laboris agon?*

*Ambi-*



*Ambigimus meritò Quid enim? Clarissime Fau-  
Doctoris né gradus meta laboris erit? (tor,  
Quin campum apperiet potius, quo se Tua virtus  
Ostendet Patriæ, Principibusq; viris?  
Dumq; putat vulgus finem impendere laborum,  
Principium melius credo venire tuum.  
Scilicet haud vobis Astrææ corda studetis,  
Non vobis moritur juncta lucerna libris.  
Quicquid differitis privatim, Et publicè, id ipsum  
Publicares certè vindicat omne sibi.  
Gestio Zechiadem de ponte videre cathedræ,  
Altdorphina suo quem tulit alma sinu:  
Nescio, quis pectus pulchro omine Spiritus im-  
Præfagitq; animus grandia quæq; bona. (plet*

Gustavus Adolphus à Gersdorff.  
Eq. Lus.





00 A 6383

ULB Halle 3  
002 916 681




SL

V D 77











NAUGURALIS

33

RTIIS

ER OPTIMO

UTHORITATE

LISSIMI JURIS.

LORENTISSIMA

TDORPHINA

TROQUE JURE

IS RITE CON.

ONI SUBIICIT

TUS ZECH

IS.

is APRILIS

M, DC, LVII.

N Univerſitatis

33.

